

solius Dei est, ut auctoris et essentialis custodis omnis recti ordinis; humanae vero auctoritatis non nisi ex Dei mandato et communicata auctoritate.

Coroll. 3^m Sicut actui triplex meritum vel demeritum, ita et triplex praemii vel poenae genus respondet, a triplici ordine, individuali, sociali, universali, proveniens; v. c. a) pax animi, valetudo corporis, vel contra; b) aestimatio, bona fama, pax domestica et publica, scientiarum et artium prosperitas, vel contra; c) beatitudo naturalis finalis, vel contra.

CAPUT III.

DE NORMA ACTUUM HUMANORUM PROXIMA.

Postquam actuum humanorum essentiam et principia dispeximus, atque eorum moralia attributa generatim; nunc ad magis particularia deveniendum est, inquirendumque qua norma proxima seu regula immediata debeant nostrae operationes regi ut moraliter bonae dicantur. Quae norma duplex spectari potest, objectiva altera, nempe lex, altera subjectiva, conscientia scilicet seu legis in ipso agente promulgatae agnitio. Sint ergo

Quaestio 1. De norma objectiva, seu lege.

Quaestio 2. De norma subjectiva, seu conscientia.

QUAESTIO 1.

De norma objectiva, seu lege.

Ac circa legem quidem, sunt quaedam generatim de ipsa ejus notione dicenda, deinde vero de singulis legum speciebus, ac tandem de consuetudine quatenus haec saepe vim legis obtinet.

Articulus 1. De lege generatim.

Articulus 2. De lege aeterna.

Articulus 3. De lege naturali.

Articulus 4. De lege humana.

Articulus 5. De consuetudine.

ARTICULUS 1.

De lege generatim.

Propositio 25.

Obligatio est necessitas secundum rationem. proveniens a necessaria connexione certorum mediorum cum fine necessario.

Stat. quaest. Quum conceptus legis, cum notione obligationis intime connexus, sine ea nequeat sufficienter explicari, prius statuendus est rectus obligationis conceptus.

Prob. Obligatio 1) est necessitas aliqua, et quidem absoluta, — 2) est necessitas objectiva per rationem apprehensa et voluntati proposita, ut huic se voluntas conformet, — 3) est necessitas proveniens a fine necessarie volendo, — 4) est necessitas proveniens a necessaria connexione finis cum certis mediis; — a. haec elementa in proposita definitione (descriptione) apte exprimuntur; e.

Prob. maj. 1 part. (aliqua necessitas absoluta). Ex usu ordinario, obligatio nulla intelligitur quae non sit vinculum voluntatem ligans ad aliquid agendum vel omittendum; et quidem ligans non si voluntas ligari velit, sed etiamsi ipsa nolit; a. ita habetur vera aliqua necessitas pro voluntate, et quidem non hypothetica (si voluntas velit), sed absoluta; e.

Prob. maj. 2 part. (necessitas objectiva). Ex usu ordinario, obligatio concipitur ita ligare voluntatem ut physicam libertatem minime tollat; a. omni alio ligamine tolleretur libertas physica; e.

ad min. Praeter objectivam necessitatem apprehensam et voluntati propositam, aliud ligamen excogitari nequit nisi aut impulsus extrinsecus subjectum determinans, aut necessitas subjectiva intrinsece inhaerens naturae humanae eamque ad actum determinans; a. impulsus extrinsecus esset coactio libertatem tollens; et necessitas subjectiva libertatem ut sibi contrariam excludit; objectiva autem necessitas actum liberum non tollit, sed solum ad eum allicit facultatem; e.

Prob. maj. 3 part. (proveniens a fine necessario). Obligatio debet esse aliqua necessitas absoluta, objective proposita (i. e. debet esse alicujus objecti propositio quod voluntatem alliciat, quod proponatur tanquam necessario appetendum, seu tanquam necessario alliciens); a. 1) objective proponi voluntati tanquam ejus objectum alliciens nihil potest nisi bonum propter se, i. e. finis; 2) nullus finis potest proponi tanquam necessario alliciens, nisi finis sit necessarie volendus; e.

Prob. maj. 4 part. (a necessaria connexione). Obligatio debet esse aliqua necessitas ad actum faciendum vel omittendum practice ligans voluntatem, et provenit a fine necessario; a. finis, etiam necessario volendus, non practice necessitat voluntatem, nisi proponatur simul medium cum fine insolubiliter connexum, i. e. ita connexum ut sine eo finis nequeat obtineri; e.

Objic. 1^o Si obligatio dicit necessitatem absolutam, tollit libertatem (ut necessitati contrariam); a. sic nulla jam est obligatio, vinculum morale; e. — **R. d. maj.** si dicit necessitatem absolutam, i. e. subjectivam determinationem ad unum, c; i. e. connexionem mediorum cum fine necessario, quam non ipsa voluntas possit stabilire vel solvere, sd. tollit libertatem moralem; c; physicam, n. — c. d. min.

Objic. 2^o Si obligatio oritur ex fine necessarie volendo, et necessarie cum certis mediis connexo, voluntas nequit non velle finem et media; a. ita nulla libertas; e. — **R. d. maj.** si... ex fine quem necessitate physica voluntas

nequeat non velle (beatitudine in abstracto), *c*; qui proponatur a ratione tanquam objectum concretum beatitudinis, *n*. — *c. d. min.*

Objic. 3° Si finis ille intelligitur objectum concretum beatitudinis, jam non necessario amatur, nec a fortiori est absoluta necessitas; *e*. — *R. d. ant.* non physica necessitate amatur, *c*; non proponitur ut necessario amandum, licet libertatis abusu possit resistere voluntas, *n*.

Coroll. 1^m Ergo distingui potest obligatio *perfecta*, seu proprie dicta, de qua superius; — et obligatio *imperfecta*, seu improprie dicta, i. e. necessitas non omnino absoluta, orta ex fine moraliter bono quidem sed non omnino necessario ad finem ultimum.

Coroll. 2^m Solus Deus essentialiter et per se potest nexum constituere inter actiones aliquas et beatitudinem, qui solus possessionem sui potest concedere vel negare, ac proinde cuidam conditioni annectere. Ergo omnis obligatio perfecta oritur mediate vel immediate a voluntate Dei; et si quando oritur immediate ab alia auctoritate, id non nisi, participata potestate a Deo concessa fieri potest.

Coroll. 3^m Intrinsicè repugnat ullam existere obligationem ad aliquid faciendum quod fini ultimo adversetur.

Propositio 26.

Essentia legis proprie dictae duo haec postulat, ut ea sit moralis actionum regula, et moraliter necessitans.

Stat. quaest. 1) Praesupponimus ut evidens nec jam probandum, nullum praeceptum fieri posse nisi ab eo qui superiorem habeat potestatem respectu illius cui praecipitur; haec enim sola potest esse proportionatum principium talis actionis.

2) Praesupponimus vulgarem conceptum verum legis, et ejus objectivam essentiam analytice quaerimus hac et sequentibus propositionibus.

3) Definitur lex proprie dicta a S^o Thoma: ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis, promulgata. — Hanc definitionem per decursum nostrae analysis ostendemus admittendam esse.

Notiones. Differunt praeceptum, edictum, lex, eo quod: *praeceptum* uni personae, vel paucis obligationem imponit; — *edictum* toti communitati, vel magnae ejus parti, obligationem pro uno certo tempore imponit; — *lex* toti communitati pro futuro tempore omni stabilem imponit obligationem.

Prob. Ex inductione apparet: 1) omnem legem quocumque sensu dicatur, esse normam aliquam, — 2) legem proprie dictam eo differre a lege improprie dicta, quod ipsa sit norma necessitans, — 3) legem proprie dictam et strictius specificam, esse normam moralem, cujus necessitas sit moralis; *e*.

Ad ant. Ex usu passim recepto hominum; lex dicitur:

improprie	—	norma quaecumque agendi, regula actionum.
latius	—	norma actionum quarumvis, orta ex fonte quovis, v. c. ex calculo probabilitatum, ex consilio, ex monito.
strictius	—	norma actionum humanarum, sed non quoad moralitatem, i. e. circa finem particularem, non circa finem ultimum, v. c. regulae aestheticae, grammaticae, bellicae artis...
proprie	—	norma actionum necessariorum.
latius	—	norma activitatis, ubi necessitas physica, v. c. in physica, chemia, mechanica, vegetatione.
strictius	—	norma activitatis humanae, ubi necessitas moralis i. e. obligatio.

Objic. 1° Ex hac propositione sequeretur nullam esse vim legis actum pravum imperantis; *a*. ita enervatur ipsa efficacia legis omnis; *e*. — *R. c. maj.* — *n. min.* — *Prob. min.* Subditus quisque facile sibi persuadet leges minus sibi faventes esse pravas; *a*. ita jure suo eas violandas esse putabit; *e*. — *R. d. maj.* aliquando, prudenter et jure; *c*; saepius temere et falso aestimans, *tr.* — *c. d. min.* quoties falso et temere aestimabit, *n*; quoties vere pravae fuerint leges enervantur et quidem jure, *c*.

Objic. 2° Fieri potest ut lex aliqua inhonesta sit ad finem proprium societatis necessaria vel utilis; *a*. talis lex vere obligat licet non sit moralis actionum norma, et est vere lex; *e*. — *R. a) n. maj.* (apparenter forsitan, certe non vere). — *R. b) tr. maj.* — *n. min.* (nequit bonum inferius et temporale esse praefendum bono ultimo aeterno).

Propositio 27.

Ad legis essentiam complendam necessaria est promulgatio congrua; quae tamen ab ejus notificatione essentialiter differt.

Notiones. 1) *Promulgatio* est legis auctoritativa absoluta propositio externa, facta secundum legitime jam constitutas formas. Scilicet: *a)* est *propositio externa*, non mera interna legislatoris cogitatio vel volitio, qua nemo alius vere obligari posset;

b) *auctoritativa*, non propositio consultativa, qua peteret consilium, et aliorum interrogaret opiniones; nec haesitans, qua voluntatis inclinationem, ac quasi hortationem suam et desiderium manifestet, non obligationem imponat;

c) *absoluta*, non sub conditione vel de futuro mentem suam manifestans (qua imperaret si..., vel imperabit postquam..., vel minatur eum qui...), sed de praesenti efficacem;

d) *secundum legitime constitutas formas*, ut constet certo legislatorem velle

ut legislatorem loqui et imperare, non ut privatam personam hortari et opinari; et ut subditis sufficienter innotescere hoc possit.

2) *Congrua*, i. e. ut tales constitutae sint legitimae formae promulgandi, quae sint et societati ad quam dirigitur lex, et materiae circa quam fertur lex, proportionatae.

3) Formae *legitime constitutae* sunt, sive per consuetudinem receptam, sive per priorem aliquam legem fundamentalem, sive (initio praesertim et quoad ipsam legem fundamentalem) per ipsa rei adjuncta et evidentiam. — Porro nequit ordinario ipse legislator physice omnibus et singulis subditis proponere, sed solum moraliter omnibus, i. e. certo cuidam numero et certae conditioni hominum qui censeantur totum coetum subditorum in hac re repraesentare.

4) *Notificatio*, i. e. manifestatio legis omnibus singulis subditis et in singulis locis facta, ut singuli obligati legem sibi impositam cognoscant.

Prob. 1^a pars (*necessaria promulgatio*). Lex proprie et stricte dicta est essentialiter norma moralis obligans; *a.* nisi sit congrue promulgata, lex nequit esse norma, nec obligans; *e.*

Ad min. Promulgatio congrua est auctoritativa absoluta propositio externa secundum congrue constitutas formas; — *a.* voluntas quae non externe et congrue proponitur, non dirigit, non est norma; — quae non auctoritative et absolute proponitur, vel non secundum constitutas formas, non necessitat, non obligat; — quae non congruas haberet formas, non sufficienter proponeretur ut certo cognosceretur; *e.*

Prob. 2^a pars (*a notificatione differt*). Notificationis et promulgationis notae essentialiter opponuntur; *e.*

Prob. ant. Notificatio: 1) supponit legem jam existentem, non eam facit; 2) potest fieri ab inferioribus quibusvis, et 3) mediis et modis quibusvis; — *a.* promulgatio econtra 1) legem non supponit, sed essentialiter complet, 2) est essentialiter actus ipsius legislatoris, 3) debet fieri non quocumque modo sed secundum congrue constitutas formas; *e.*

Coroll. 1^m Ergo errant qui, promulgationem cum notificatione confundentes, existimant legem non habere vim legis in singulis locis nisi in singulis promulgetur; nam sequeretur etiam singulis individuis singillatim eam debere promulgari ab ipso legislatore!

Coroll. 2^m Ergo inferiores magistratus et praefecti notificare quidem debent legem, sed eam non promulgant; ac si munere suo non fungerentur, lex nihilominus in illis locis vere existeret, et obligaret; subditi tamen ex ignorantia subjective excusarentur, donec modo quocumque legis existentiam intellexerint.

Propositio 28.

Soli legislatori competit jus determinandi locum et modum promulgationis ad obligationem inducendam sufficientis.

Stat. quaest. 1) Ex praecedentibus colligi potest: a) necessario et essentialiter requiri legis promulgationem congruam, — b) promulgationem variis modis fieri sufficientem posse pro diversitate rerum, temporum, locorum, — c) promulgationem, ut sit congrua, talem esse optandam quae longe lateque per totam subditorum multitudinem facile cognoscatur, — d) facile fieri posse ut promulgatio, si hoc vel illo modo sit facienda, impediatur, v. c. in provincia ab hostibus vel a praefecto rebeli occupata, — e) etiam tum tamen non omnia media deesse legis ad earum provinciarum notitiam perducendae.

2) Quaeritur igitur quis in omni casu jus habeat modum promulgationis determinandi: magis aut minus amplitudinis, magis aut minus solemnibus, in uno vel pluribus locis faciendae...

Prob. Lex essentialiter est actionum norma moralis obligans; *a.* si cui subditorum competeret jus determinandi promulgationis modum, hoc ipso everteretur legis essentia et legislatoris auctoritas; *e.*

Prob. min. Posset subditus ille condiciones praescribere absonas, vel legislatori vix possibiles, vel nimis mobiles et ab arbitrio subditorum dependentes, etc; — *a.* ita sequeretur: 1) quod legislator simul haberet jus leges ferendi et promulgandi, et practice illud jus non haberet. — 2) quod lex illa prout a legislatore prodit, simul esset vera et perfecta lex, et tamen non esset obligans, — 3) subditus ille esset simul subditus (ex hypothesi) et tamen non subditus sed potens resistere legislatori; *e.*

Propositio 29.

Ad solum legislatorem pertinet ultimum iudicium de legis opportunitate pro singulis locis.

Stat. quaest. 1) Ad interitum vel grave damnum societatis nullus humanus legislator potest legem (vere obligantem) imponere; si ergo lex etiam aliis provinciis utilis, aliis esset vere et graviter damnosa, in istis non obligaret. Sed pronus erit error in talibus rebus iudicandis, quoties aliquibus minus grata erit lex: quaeritur ergo cuius sit ultimo iudicare de legis opportunitate vel damno, unde ipsa ejus validitas pendet; utrum scilicet v. c. ad subordinatos aliquos magistratus pertinere possit, an vero ad solum legislatorem.

2) Quaestio illa non proponitur quoad exceptionales illos casus, quibus lex esset ita evidenter vergens in ruinam subditorum communiter, ut nemini possibile esset non illud agnoscere, et legislatoris malam voluntatem hostilem perspicere, ac proinde eam omnes unanimiter viderent: quod si quando

fieret, lex evidenter nullum haberet valorem obligandi. Sed ponitur quaestio quoad casus facile contingentes, quibus lex, pluribus ingrata, inopportuna vel nociva saltem aliquibus locis appareat quidem, sed non ita evidenter ut nulli res maneat ambigua.

Prob. Ad ipsam legis essentiam pertinet ut sit opportuna, i. e. ut ejus observatio non sit vere damnosa; *a.* si quis subditus de legis opportunitate ultimo posset judicare, hoc ipso posset statuere de validitate legis (saltem pro hac vel illa provincia), et evertitur essentia legis et auctoritas legislatoris; *e.*

Ad maj. Lex essentialiter est actionum norma moralis obligans; *a.* neque ad malum morale faciendum, neque ad proprium interitum procurandum, ulla potest imponi obligatio: nec erit norma moralis; *e.*

Ad min. Subditus ille 1) posset legitime resistere legislatori vero, ac proinde esset simul subditus (ex hypothesi) et non subditus, — 2) posset judicare in sua suorumque propria causa, quod absonum est, — 3) statuere posset de elemento aliquo essentiali legis, ac proinde lex prout ab ipso legislatore emanat nondum esset essentialiter lex, sed essentialiter dependeret ab alio quam a suo auctore; *e.*

Coroll. Ergo si qua lex damnosa fore videbitur, ejus loci vel provinciae praefectorum vel magistratum inferiorum erit, legislatori rationes proponere atque explicare ad exemptionem obtinendam. Hoc autem si ipsi negligant, etiam alii ex subditis curare poterunt.

Propositio 30.

Nullius legis validitas ullo modo ab inferiorum acceptatione pendet.

Prob. Legislator, aliquam legem debitis conditionibus absolute ferens, vult et potest subditos obligare independentem a quacumque eorum acceptatione; *e.*

Prob. ant. 1 part. (vult). Lex quae absolute fertur, enuntiat publice legislatoris voluntatem ut res praescripta fiat, et poenam minatur refragantibus; *a.* absurdae essent talis enuntiatio et minae si voluntas esset sub conditione tantum: si ipsi subditi obligari voluerint; et si haec voluntas nihil aliud intenderet quam consilium dare; *e.*

Prob. ant. 2 part. (potest). Legislator potentiam habet veram obligationem (necessitatem moralem absolutam) imponendi subditis; — *a.* si legum validitati necessaria est subditorum acceptatio, 1) legislator non habet veram potentiam obligandi (necessitatem absolutam imponendi, sed hypotheticam tantum); — 2) legis essentia perit (norma absolute obligans fit norma facultativa); — 3) subditi erunt ipso legislatore superiores (jus habentes ei resistendi ejusque opus confirmandi vel abrogandi); *e.*

Coroll. Ergo si qua in societate statutum est legis validitatem ab aliquorum subditorum coetus, vel imo ab omnium acceptatione fore dependentem, aliquo

ex his modis factum id esse potest: *a)* vel ab initio supremam legislatoris potestatem non unus dux vel praefectus... habuit, sed totus ille parium coetus; — *b)* vel qui initio potestatem solus habebat rex..., aliquando jure suo cessit, potestatem suam pluribus communem fecit; — *c)* vel interdum ex benignitate jure suo uti nolens, quum tamen possit, subditis concedit potestatis aliquod consortium.

Propositio 31.

Essentia legis, in legislatore spectatae, adaequate sumpta complectitur quidem et actum intellectus et actum voluntatis: ratio tamen legis specificae propria in actu voluntatis sita est.

Notiones. *Essentia legis*, i. e. id in quo consistit ipsa lex, ut sit vere norma moralis, valide obligans.

In legislatore spectatae, quatenus lex est aliquid legislatoris, actus ab eo productus, effective causativus obligationis quae subditos valide astringat.

Ratio... specificae propria, i. e. nota specifica legis, qua haec ab aliis actibus differat quibus actus humanos subditorum regeret superior, v. e. a consilio, exhortatione, suasionem.

Stat. quaest. 1) Ad quaestionem theoreticam: quis legislatoris actus sit proprie causativus legis; respondent Thomistae et alii aliqui: actus intellectus; et citant 1. 2^{ae}. q. 90. a. 4: «lex est ordinatio rationis in bonum commune, ab illo qui curam habet communitatis promulgata.»

2) Sed respondent alii: actus voluntatis, cfr. 1. 2^{ae}. q. 97. a. 3.

3) Nos utrisque aliquid veri concedentes, conciliationem in propositione tentamus.

Prob. 1^a pars (actum intellectus). Lex essentialiter debet 1) ordinare, 2) illuminare et docere, 3) regere; *a.* haec non sunt immediate voluntatis sed intellectus; *e.*

Ad maj. Lex essentialiter est norma moralis obligans actuum humanorum; — *a.* 1) ut obliget, i. e. veram necessitatem absolutam rationis imponat, debet ordinare, i. e. verum medium statuere ad finem necessarium; — 2) ut sit norma, i. e. typus objectivus spectandus in operationibus, debet illuminare et docere; — 3) ut sit vere moralis norma, debet regere ad verum finem; *e.*

Prob. 2^a pars (et actum voluntatis). Lex essentialiter debet 1) efficaciam practicam dare ordinationi ab intellectu conceptae, 2) subditos applicare ad actionem exercendam vel omittendam, 3) veram obligationem, i. e. objectivam necessitatem, nexum inter medium et finem, non solum agnoscere, sed inducere effective; *a.* haec non sunt intellectus sed voluntatis; *e.*

Ad min. 1 part. (efficaciam practicam...). Solius voluntatis est finem cognitum intendere, et media ad eum proposita eligere et practice statuere.

Ad 2 part. (subditos applicare). Intellectus dirigit quidem praelucendo quoad specificationem actus, sed solius voluntatis est movere applicando ad exercitium actus.